

Gottfried Weiss


**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Gothofredus Weiß/ Gr. L.
Prof. P. Facult. suae h. Decanus ... Ad Praesepe Christi ea qua decet animi
devotione visitandum, Cives Academicos invitat [P.P. Sub Sigillo Rectoratus die
25. Decembr: Anno 1690]**

Rostochii: Wepplingius, [1690]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734003226>

Druck Freier  Zugang





J. 512.

1690. Weihn.

~~A-1256.~~^{63.}

W. 1690.

PROGRAMMA
²⁷⁰
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
GOTHOFREDUS



Weiß /

Dr. L. Prof. P. Facult. suæ h. Decanus,
Edem D. Nicolai Ecclesiastes,
AD

PRÆSEPE
CHRISTI

eâ quâ decet animi devotione visitandum,
Cives Academicos invitat.



ROSTOCHII, Formis JOHAN. WEPPLINGII, Acad. Typogr.

M. 1256 63



Lluxit iterum exoptatissimum tempus, quo ad nativitatis Christi Servatoris nostri Optimi Maximi, admiranda varia sanctioribus curis subjicienda pellicimur. Tempus, omnium voluptatum mundanarum illecebras & gaudia, christianæ pietatis deliciis longissimè exuperans. Tempus, piæ antiquitati adeo desideratum, ut eo præsentè, in mortem ipsam ceu dulcissimum somnum declinare lumina, omnibus votis anhelarit, fide ac pietate illustris Simeon. Quod ipsum & alios Sanctos DEI Viros, eodem cum animi prolubio ac fervore præstituros fuisse, si eundem felicitatis apicem attigissent, omni dubitatione caret. Annon enim Jacobum Patriarcham, ut alios taceam, senio confectum, laboribus ac ærumnis exhaustum, & jam olim de omnibus vitæ exactæ articulis coram Pharaone querulas voces ingeminantem, ad ulteriorem lucis usuram, spem videndi in carne Messiam sollicitasse solam constat? Reliquerat fere vitalis calor grandævise artis, emaciatum corpus, prostratis omnium partium viribus, non ultra faciebat officium, spiritumque ægrè trahebat: solo tamen Servatoris sui retinebatur desiderio, à mortis dilatione non abhorrens. Quem si caligantibus jam, & in atrâ fere morte natantibus oculis suis vidisset, ad protendendas illi excipiendo ulnas, ultimas sine dubio vires collegisset, spiritumque sic eò lubentius DEO reddidisset. Quid ni ergo & nostra jucundo sensu afficiantur præcordia, utpote, quibus id contigit, quod hisce denegatum, qui meritò lætamur advenisse, quem illi venturum anxie sperabant. Provoquant lætitiâ nostram aligeræ Mentis, positisque curis dulcia nos agitare gaudia jubent, quando in sublimi signa dant lætitiæ suæ manifesta, plaususque tollunt, ut ut salutis nobis reparatæ haut parti cipes. Adeo scilicet delectantur nostro bono, Numinis, benignissimè erga humanum genus affecti, æmuli. Et nunc in cælo quoque, recurrentibus apud nos stans temporibus, hoc illis celebrari Festum, scribere *Nazianzenum* audet. Vexetur ergo lividæ indignationis stimulus Sathanas, utpote cui ad miseriam nostræ evamina ignescunt

ignescunt ira, & durus dolor ossibus ardet.

quandoquidem irreparabile damnum sentit, lutumque scitè compositum, præferri sibi impendit dolet. Maneat æternis tristitiæ tenebris merito suo sepultus. Nostrum autem erit, non tacitâ solum dulcedine affectas implere mentes, sed & in júbila sonora linguam solvere, quorum æternæ felicitati semetipsum impendit DEI Filius, cujus unitis beneficio, cœtui triumphantium in cœlis jungimur. Innumera verò sunt, quæ meditationi nostræ objiciuntur, gratâ memoriâ, religiosâ admiratione, latisque plausibus longè dignissima. Quorum altiorem cum justâ æstimatione indaginem, separatis à corporeâ mole peccatiq; contubernio mentibus; dignam deprædicationem Angelicis deberi linguis, haut quidem diffitemur. Nobis tamen qui sub ænigmate intelligimus, & per speculum cernimus, quousque Sancti Spiritus per Scripturas loquentis adjutorio licuerit, ascendere, allevatis è cœno terrenarum occupationum animis, volupe satis est. Et ad præsepe solùm hâc vice oculos intendere juvabit ac animos. Neque sterile hoc argumentum esse, parvique aut nullius momenti circumstantiam quis temere judicaverit: siquidem S. Scripturarum, ut nobis sæpe apparent, minutis, gravissima mysteriorum momenta reconduntur. Nul- lum in divinis literis inveniri apicem, à quo non doctrinarum montes pendeant, sapienter & religiosè antiquis dictum est. Hinc videas sanctos Ecclesiæ Patres, prolixè satis in hoc themate occupari, eoque sibi metipsis aliisque, ad gaudia hæc natalitia excitandis, non absque insigni animi voluptate uti. Rectè S. Bernhardus, *Serm. 4. in natal. p. 15. Non sine certâ ratione mysterii, Salvator in præsepio ponitur.* Non tamen superfluxe Doctorem Sanctorumq; etiam Virorum curæ nos multum distinebunt, disquirentium, quidnam omnium primò, limina mundi salu- tans Servator mundi, corpore suo tenerrimo tetigerit. Nudo- ne rudique solo, an præsepi, semeso stramine fœnoque pro re nata instructo, statim ac natus, exceptus; num hominis vel An- geli ministeria prima expertus sit? Humo contiguum ante om- nia factum nascentem esse, ut sic humilitatis quodam docu- mento, ad sequelam sui statim traheret, hujusque primariæ virtutis amore, mortalium incenderet animos, Barradius censet

Alii ab Angelis primùm exceptum, inque brachia Matris dulcissimæ delatum; sponte suâ Ipsismet ulnis Maternis se ingessisse autumant alii. Quod ipsum uti ex Brigittæ revelationibus suspectis depromptum, ita valde probabile, credituque pium agnoscit nimis credulus Cornelius à Lapide in *Luce* c. 2. At enim vero non eget res ambagibus. Humano enim more uti natus Servator infans est, nec adstruenda præter necessitatem sunt miracula: Ita prima quæque officia, blandaque corporifomenta præstitisse beatam Virginem Matrem meritò tenemus: quippe, quæ nemine in auxilium præsentè (tam dura tristisque sanctissimæ puerperæ conditio!) partum edidit, editum fovit, pannis involvit, inq; præsepio reclinavit. *Nulla ibi obstetrix*, inquit Hieron. lib. 1. contra Helvid. C. 4. *nulla muliercularum sedulitas intercessit, ipsa pannis involvit infantem, ipsa & Mater & obstetrix fuit.* Hæ nimirum fuere felices illæ manus, quarum adminiculo exceptus primùm, allevatusque Mundi Dominus est. De loco autem sive domicilio, in quo repositum præsepe fuit, non nullius momenti videtur esse quæstio. Scilicet, nū in suburbiis Bethlehemi extra muros, in rupe aut topho excisa specus; an vero in Urbe, publico diversorio conjunctum stabulum fuerit? Et de spelunca quidē ac stabulo variantes opiniones tolerari facilè conciliariq; possunt, quarum, illa Græcis, hæc Latinis; Patribus plerumque placet. Ubi verò situm fuerit hoc, quocunq; tandem veniat nomine, domicilium, cum quæritur, providendum sollicitè puto, ut Codicis sacro autoritas sua constet illibata: quippe cujus, tam V. T. vaticiniis, quam Novitestiimoniis, utrobiqu; arduis & perspicuis, Bethlehemum, nativitati Salvatoris assignatus usurpatusque locus est. Proinde in urbe ipsâ, locum habuisse verosimilius & ad monumenta S. literarum convenientius dici, quam extra eandem, ego quidem autumo, quicquid ex Patrum nonnullorum scriptis (quos allegat Frantzius de interpretat. S. S. Oraculo nō.) posterius hoc statumantibus adducatur, vel ab iis etiam qui terram sanctam hodiè visitant, de stabulo & præsepi, excavatis in suburbio Bethlehemi petris inciso, referatur. Quis enim pro certo & indubitato adseveret, extare eodem loco hodiernum urbis Bethlehemi quæ monstrantur vestigia, quo illa olim extitit. Patribus etiam sanctis, piè credulis

credulis, relatione quâdam minus certâ imponi potuisse, quod toties factum, facillè credimus. Idque eo magis, quod Bethlehem ipsum, non vero speluncam urbi propinquam, in consiliis suis ipsam mundi originē antegressis, maximo huic negotio destinavit, salutis nostræ Author summus, oreque sanctorum Prophetarum luculentissimè prædixit. Unde magnifica in ejus laudem verba fundit Bernhardus sequentia: *O Bethlehem parva sed magnificata à Domino, magnificavit te qui factus est in te parvus ex magno. Latere Bethlehem, & per omnes vicos tuos festivum hodie Alleluja cantetur. Quæ tibi civitas, si audiat, non invidet pretiosissimum illud stabulum, & illius præsepj gloriam? in universa siquidem terra jam celebre est nomen tuum & beatam te dicunt omnes generationes. Ubiq; Psallitur, quia homo natus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus. Ubiq; inquam prædicatur, ubiq; clamarur, quia Jesus Christus DEI Filius nascitur in Bethlehem Jude.* Sic ergo extra omne dubium in præsepi Bethlehemitico repositus est recens natus Jesus noster. Quod sive lapideum fuerit, ex mente Chrysostomi, sive luteum ex aliorum consensu aut ligneum, perinde nobis fuerit. Certè quod Romæ hodieq; in basilica Mariæ majoris asservatur ligneum (de quo inter alios Baronius Tom. I. p. 55.) vanæ superstitionis sectatoribus Pontificiis relinquimus ut spurium & ad fraudem compositum. Faceat hinc fucus omnis, ne suspecta falsitatis reddatur Christianæ religionis veritas. Adeste v. quoscunq; pietatis Christianæ sensus aliquis tangit; adeste ad devotionē religiosam comparatis animis, flexisq; genibus mundi Dominum ac Servatorem salutate. Is enim vilissimo hocce lectulo capitur. Lumen de Lumine obscuro loco continetur, (quem eam ob causam pandocheum tenebricosum vocat, Autor imperfecti operis, apud Chrysostomum T. I. p. 747.) Loco ab omni ornatu vacuo, nullis aulais vestito, aliâve magnificâ suppellectile instructo, Rex regum delectatur. Loco planè angusto, ἐν φούλῳ καὶ μικρῷ καταλύματι (teste Gregorio Nazianzeno *Serm. 9. p. 156.*) augustissimus cœli terræq; Dominus, quem cœli cœlorum non capiunt, recumbit. Et verissimè quidē recumbit, explosâ meritò, fraudulentâ & insidiosâ ἀδοσίῳσι, Cingliani cerebri infelici foetu. Quam enim personam beata omnium seculorum suffragiis Virgo, virtute Altissimi obumbrata, supervenientes, Spiritu conce-

pit; quam Personam intemeratis uteri claustris sanctissimè habuit;
quã Personam inter Angelorum applausus, in lucem edidit. Ean-
dem quoq; in vili præsepio reposuit. Lustrem, jam cœlestis nuntii,
consilium divinum de natalibus Messiaë magnificè aperientis,
verba, & luce meridiana clarius apparebit, partum Mariæ vocari
magnum, altissimiq; Filium, Sanctum ex Maria nasciturum, Dei
Filium, *Luc. 1. v. 31, 32.* & consequenter ipsum Deum altissimum fuisse,
quem concepit, peperit, & in præsepio reclinavit, ut ut secundum
humanam naturam, vel ut S. Spiritus loqui amat, secundum car-
nem. Consonat huic, totius sacræ Scripturæ concentus mirabilis,
divina idiomatica, Axiomatica & Energematica huic Deo-Homini at-
tribuens, omnemq; Deitatis plenitudinem in eodem habitare
asserens. Unde nulli dubitamus Mariam nominare: *Ἰεωτόρον,*
quod Nestorius recufabat. *O rem vero supendam, exclamamus me-
ritò cum S. Augustino Serm. 9. de Nativitate. O miracula! O prodigia! O
mysteria! fratres: Naturæ juramentum, in homine Deus nascitur,
virgo sine viro gravidatur: viri nesciam sermo Dei maritat: Simul
facta est mater & virgo; mater facta, sed incorrupta. Omnia & in-
exquisita compago! O nova & inaudita commixtio! Deus, qui est, &
quiescat, creator fit creatura, divites constitutus pauper efficitur, in-
corporeus carne vestitur, videtur invisibilis, palpatur impalpabilis,
comprehenditur incomprehensibilis, quem cælum & terra benedicit in
præsepio angusto collocatur.* Multa recensentur ab Authoribus
præsertim Pontificiis prodigia, Christi nativitatem antecedentia
& comitantia, inter quæ ea incerta satis & vix fide digna haut pauca.
veluti, Romæ Templi pacis ruinâ subitâ collapsum eã ipsâ nocte
esse, quã virgo peperit. Sciscitatos enim quondam Romanos,
templum hoc memoriæ tot victoriarum ab hostibus partarum,
consecratos, ad quod ævi durare posset tam excellentis fabri-
cæ operosa moles, responsum retulisse: donec virgo pareret. In-
deq; nullis seculis ruituram ædem hanc interpretatos, æternum
templum appellasse. Porro, virginem in sole, puerum gremio
gestantem, ostensam esse Augusto à Sybilla. Aurei coloris glo-
bum Romanis visum è cœlo in terram ascendere, ibiq; majorem
effectum, denuo in cœlum ascendere, & obtegere solem. Hæc
& alia plurima apud Thomam Aquinatem, Alphonsum Tosta-
tum, Bonaventuram, Baronium leguntur, authoribus hisce suis
relin-

relinquenda, quæ fortean his & similibus usi sunt, ad imbuendos religionem quædam hominum infidelium præcipuè animos, conciliandamque rei majestatem ac venerationem. Sed verò è longinquo arcessere miracula & sublesta quidem fidei quid refert? omne prodigium excedit, omne miraculū superat, hoc unicum, Deum factum esse hominem, Deum inveniri in præsepio, tam verum, quam verax ipse Deus est. Videtur autem è præsepio velut cathedrâ quædam, divinus infans, non verbis quidem, at factis tamen varia docere, simulque causas, suæ in hunc locum delationis insinuare. Scilicet, ante omnia, verissimi quoad humanam naturam nobiscum consortij, nos reddere certiores vult. Cujus quidem rei argumenta invicli roboris alia, præstò sunt ex Scr. S. divite penu plurima: Interim & hoc factum, demonstrandæ Christi veræ humanitati, sanctis Ecclesiæ Doctoribus visum fuit omnino congruum. Ita enim à tot jam sæculis celebratissimus Alexandrinus Episcopus Athanasius, Manichæis, Filium Dei, externam corporis humani speciem præ se ferentem, phantasmate quodam mortalium oculis illuisse obtendentibus, inter alia contradicit: *Respondete, inquit, mihi Manichæi filij tenebrarum, si phantasma vobis videtur, quod Maria peperit filium & posuit in præsepio.* Nimirum, manibus tractari, pannis obvolvi, in præsepe attolli, reclarique, non nisi rei verè corporeæ competere posse, sapientissimè judicat. Regni porro sui conditionem hoc pacto, simul ac natus, manifestat Jesus. Se nimirum non venisse Regem, humanum in modum, vario hominum ministerio, rerumque vitæ commodis, luxuque facientium apparatus suffultum, auro gemmisque fulgidum, Regiis insignibus illustrem, & quæ ad pompam magnificentiamque Regalem adhiberi solent immensi pretij, stupendi artificij, exquisitissimi que splendoris alia. Ab omni quidem æternitate destinatus Rex erat, ast talis, qui inferni claustra perrumperet, Sathanam tenebrarum Principem armis exueret, præsidijque depelleret, mortis spicula frangeret, & sic opima verè spolia, ipse induperator invictissimus ab infernali Duce sathanâ, ejusdemque foederatis reportaret. Hinc ingressus ejus ad vitam, ab omni cultu humano vanoque tam remotus, quam erat ipse à terreni Regni cupidine, ac intentione

fic

fic imperitandi alienissimus. Refert Hieronymus, Helenam Imperatricem, eversâ Adonidis statuâ, quam Adrianus Imperator in loco divini partus sanctitate celebri, exstrui fecerat, ut loci religionem emoliretur, ibidemque, ubi Christus natus, vagisset, Veneris amasius plangeretur, Helenam, inquam, Constantini matrem, cavernæ huic magnificum templum inædificasse, & ad præsepe aram struxisse. Quod templum Constantinus ipse aulaeis, aliisque regis ornamentis ita decoravit, ut istud spelæum, mundi esset miraculum. Visendus ibi fuit ordo columnarum quadruplex è marmore. His fornix, opus vermiculatum nitabatur, quod omnes ab orbe ad Christum nobiliores historias miraculorum & artificii varietate proponebat spectandas. Omne pavementum marmore stratum, parietes alabastro vestiti. Nec habuit orbis facillè huic templo æmulum. Quæ structura immensas quidem opes juxta ac pietatem Monarchæ hujus, ejusdemque Matris commendabat. At non delectabatur, tali palatio nascens Servator, quin potius, paupertatem, humilitatem, mundique & omnis ejus gloriæ contentum, omnia loquebantur. Non hic lectulus conspiciebatur ebore pretiosus, sed vili rudique ligno constans, non auro vestitus, sed scæno; non alabastro domus parietes contexti, sed araneorum confusis telis obducti; non marmore pavementum stratum, sed jumentorum sordibus qualidum. Rectè Petrus Damianus Ostiensis Episcopus *lib. 6. Epistol. Ep. 14.* Ipse conditor Angelorum, inquit, dum in præsepio vaglens reclinatur, non ostro vel togis rutilantibus operius, sed vilibus tegitur panniculis involutus. Erubescat ergo terrena superbia, confundatur & obstupescat arrogantia redempti hominis, ubi mox erumpentibus radiis, exorti cornuscat humilitas Redemptoris. Hic videor mihi audire vocem suavissimi infantis, hæc insonantem: O quam vanæ sunt vestræ mortalium opes, quæ tanto cum labore queritis, tantâ cum auxietate tenetis, tanto cum dolore amittitis. Quam vanæ sunt quæ inescamini deliciæ; quam vani honores terreni, quos inftar puerorum fatui, avidissimè ambitis & sectamini. Veræ opes, veræ deliciæ, veri honores in Cœlis sunt, quo vos manuducere intendo. Ego Christus qui sum Rex regum, pauper & omnium indigus nascor; & vos ô Christiani opes ambitis & divitiis. Ego

quem cœli non capiunt, corpore & exili præsepio concludor,
 & vos pudet esse parvulos, humiles atqve abjectos. Ego qui sum
 increata & immensa sapientia, dura & molesta carni, molesta
 spiritui elegi, vos voluptatibus utriusqve indulgetis. O qui dili-
 gitis vanitatem, discite ex me, in quonam consistat vera sapientia,
 gloria, virtus & vita, nimirum in ardenti charitate, profundâ hu-
 militate, rerum terrenarum contemptu, cœlestiumq; deside-
 rio. Sed alia ab his restant adhuc paucis excutienda. Nimi-
 rum, allegoricè sanctos Ecclesiæ Doctores exposuisse omnes na-
 tivitatis Christi circumstantias, non reclamante fidei analogiâ,
 inspicientibus patet. Veluti, quod tempore pacati orbis, sub
 moderamine pacifici Imperatoris Augusti Jesus natus sit, eo
 volunt indigetari, hunc verum pacis esse Principem, qui Deum
 hominibus reconciliaverit, hosq; æternæ paci restituerit. Quod
 à virgine illibata natus, ideo fœm factum, ut ostenderet, se non
 innasce spiritualiter humanis cordibus, nisi à peccati regnantis
 labe sordibusque puris. Quod Betlehemi natus, siquidem
 Betlehem pacis domum significet, hoc ipso tacitè insinuari,
 Christum esse verum vitæ panem è cœlo delatum, omnibus-
 que credentibus, ad salutem oppidò proficuum. Quod excu-
 bantibus significarit nativitatem suam primùm pastoribus, id
 argumento esse, non eos qui securitatis voluptatumque somno
 immersti, sed qui vigiles fidei oculos, attentosque gerunt animos,
 Ejus & beneficiorum ab ipso partorū futuros esse participes. Sic
 pariter, ut alia omittamus, de præsepio etiã vocem illis ingemi-
 natam audias: *Adoremus cum pastoribus, Christi præsepe, hoc est Ec-
 clesiam.* (vid: Smied, *Festival.* p. III. p. 304.) Et sanè instituire u-
 triusqve collationem, haut longè petitis similitudinis argumen-
 tis, & ita sub imagine præsepis delineare Ecclesiam, in procli-
 vi est. Uti enim in immundo stabulo præsepe, sic in impuro
 mundo Ecclesia. Tenebricosum & in obscuro positum præ-
 sepe, annon fideles absconditos soliq; Deo cognitos, & sic Ec-
 clesiam electorum, invisibilem eleganter adumbrat? Præsepe
 caret ornatu omni, contemptu abundat: sic & Ecclesia, cujus
 ornatus interior magnus quidem est juxta Ps. 45. exterior verò
 nullus i. Cor. 5. Angustum præsepe est, sic ecclesia fidelium

B

angu-


angustis clauditur terminis. Jacebat in præsepio Bethlehemi-
tico Christus, habitat Idem in ecclesia & hujus quidem quod
illius non erat, maximo commodo. utpote quam spiritualiter il-
luminat, variis donis exornat, gaudio accumulatur, potenter
conservat. Præterea cordis nostri, quod habitare per fidem Jesus
amat, præsepe aptissimum esse typus poterat. Sed desisto the-
saurum hunc variorum mysteriorum, doctrinarumque; penus re-
fertissimum, ulterius excutere, & quæ per fastigia hic saltim tradi-
ta, vix indicatis materiæ titulis, ea prolixiori meditationi, da-
ta occasione sint reservata. Subministrabunt etiam his & simi-
libus ulterius immorandi, animumque consideratione rerum di-
vinarum, lautissimè pascendi ansam, publica sacra, continuis
aliquot diebus in memoriam nati Servatoris celebranda. Sub-
trahendi ergo hi dies otiosis terramque sapientibus curis, suble-
gendi quàm maximè, pœnitendis spurcisque peccati ministeriis,
ad quæ concitare omni conatu contendet, infensissimus salutis
nobis reparatæ hostis Satanas. Huic enim quam invisæ & exo-
sæ Christianorum de natalibus servatoris sui gaudia sunt, quamque
uratur amoris & misericordiæ divinæ in humanum genus effusæ
publicis præconiis, verbis explicari nequit. Solet proinde variis
molitionibus, in animorum exacerbationes, contentiones & jurg-
gia distrahere Christianorum cœtui addictos, & ad infanda
scelera impellere male feriatos. Solet scrupulos injicere, blas-
phemisque cogitationibus tentare & fatigare fideles etiam ani-
mas, curis quoque inanibus vitæ hujus easdem distinere. His
ergo omnibus spirituali robore, fide precibusque; reluctari conve-
nit. Tanti fecit solemnitatem festi hujus Alphonsus Rex piens-
tissimus, ut eo die hostes vinci & superari noluerit. Pio sanè
adductus zelo, ne gaudia spiritualia terrenis interrumpere. No-
bis, victoria de Sathanæ tentationibus eò magis erit proficua, quo
pacatius meditationibus piis vacare, quò dulcius, non interpellat-
tis, frui beneficiis Jesuli nostri licuerit. Cessent ergo jurgia insana,
& amara prælia lingvæ. Lex est, ait scriptor haut incelebris Manli-
us *part. 2. Collect. p. 94.* in urbibus Sveciæ, ut, si jurgantes à verbis
ad manus deveniant, & gladios stringant, aliquis autem licet emi-
nus, vel puer tantum aut muliercula inclamet *Fried/ Fried/ nihil-*
omi.

lominus tamen audito pacis nomine sed spreto, duellator audeat ferire & hostem se profiteri, graviter & ad delicti modum quandoque capite puniatur. Natali Servatoris nocte, Angeli e cœlo pacem denunciant. Servator ipse humilitatem e præsepio inculcans, pacem simul commendat. uti enim animi elatio, vanaque ambitio, æmulationum contentionumque mater est, sic pacis humilitas. Nihilominus tamen, nimis quam temerarii etiamnum litigamus & pugnamus. Ubiq; audiuntur lites & rixæ, ubiqve bella & discordiæ. Quæ mala quantopere nos premant & quam pertinaciter incumbant Academia nostræ, dum cogito, vix à lachrymis mihi tempero. Pax, ergo, pax o Viri Juvenesque! ita Jesus noster, ita clamant Angeli. Capite litemus, si post illam promulgationem pacem ruperimus. Quid jurgia e jurgiis serimus? quid æternis ardemus odiis, orcinis postmodum arsure flammis. Faceffant etiam hinc scrupulosæ de mysteriis cogitationes, acceptaque de paupertate, vilissimæque conditione Mundi Servatoris, cum Judæis scandala. Non enim frustra, manifestatio Dei in carne, vocatur Paulo Apostolo mysterium ὁμολογούμεως magnum. Hic Oceanus vastissimus in scrobiculum effunditur, quod Augustino aliquando absurdum visum. Sacro ergo silentio mysterii magnitudo testanda potius, quam scrupulosius rimandum. *Fides non habet meritum, cui humana ratio prebet experimentum*, scitè inquit Gregorius. Curas vero hujus mundi, de vitæ necessariis solari, sitimq; divitiarum, quarum struere cumulos adeo laborat infatiabilis mortaliū cupiditas, sedare, datis in ruborem, auri argentiqve hellionibus, commodissimè poterit in tantâ reum omnium penuria natus Servator infans. Apage ergo cum his aliisve devotæ meditationis impedimentis, cui unicè intentos esse convenit hoc lætissimo tempore Christianos. Visitemus potius, non corporis pedibus, sed devotæ mentis passibus Bethlehemum, provolvamur ad præsepe, osculaq; amoris sinceri libemus infanti mellitissimo. Jucundissimum lectu est quod de Hieronymo refertur. Ingruente nimirum senectute ultimâ, jam enim ad 82. ætatis annum provectus erat, cum officii Ecclesiastici munia obire ultra non posset, devotionis singularis impulsu Bethlehemum se contulit, ibidemque ædiculâ prope templum abs Helena

na

na Imperatricæ exstructum conductâ, ad beatam usq; ἀγαλυσαν
subsistere constituit. Mira verò dulcedine refertum, totq; floscu-
lis, ferventissimi amore divino pectoris testibus consitum, quod
cum Jesu nato miscet colloquium est, ut vel aliquali cum pietate
consideratum, insigni pectus suavitate, oculos lachrymis facillè
suffundat. Transcribere huc illud ipsum prolixitas vetat, recensuit
tamen in libello pio, cuius obvio Dn. D. Pfeifferus (in *Evangelisti-
schen* *Erquickstunden* Feriâ i. Nativit.) O imitamini aquis devo-
tionis passibus Sanctum illum Virum! Itinere corporali Bethle-
hemum migrando nihil proficitur; animo autem circa hæc
perpendenda, suisque momentis ponderanda, relictis, itinere
quali suscepto terrenis obstaculis sedulò occupari, multum pro-
dest. Sic enim dignos Ecclesiæ sanctæ cives, spiritualisque
præsepîi sectatores vos demonstrabitis; sic habitare corda ve-
stra ceu lectulum gratissimum dignabitur Jesus, qui uti omnino
boni Autor existit, ita variis vos beabit animæ divitiis. Conclu-
do tandem verbis Augustini, qui utut aliàs nunquam non facun-
dissimus, de Nascente Christo tamen singulari facundia ita copi-
osus, ut dicendo satiari non potuisse videatur. Ita vero ille *Serm. 16.
de nativitate.* & ego cum ipso: *Audite filij lucis, adoptati in regnum Dei,
fratres et ariffimi: audite, audite, & exultate iusti in Domino. Natus est
Christus, Deus de Patre, homo de Matre, vita principii, finis mortis. In hac
die ad [salvanda] omnia oritur lux mundo, defunctis resurrectio, vita
mortalibus - Natus ergo puer ponitur in presepe. Et hæc sunt Dei pri-
ma cubacula, nec regnator Cæli hæc dedignatur angustias. Laudent Eū
condignè omnes Angeli ejus, quorum cibus æternus est, quia verbum Dei
est cujus vitâ vivunt, cujus æternitate semper vivunt, cujus bonitate sem-
per beatè vivunt. Nos autem plebs ejus & oves pascuæ ejus, pro mo-
dulo infirmitatis nostræ pacem, per bonam voluntatem reconciliati
mereamur. Laudent ergo illi competenter, laudemus & nos obedien-
ter. Implevit in cælo mensam ipsorum, implevit in terra presepe no-
strum. Plenitudo enim mensæ ipsorum est, quia in principio erat ver-
bum, & verbum erat apud Deum. Plenitudo præsepîi nostri est, quod
verbum caro factum & habitavit in nobis. Gloria ergo in excelsis
DEO! & in terra pax hominibus bonæ
voluntatis!*

P.P. Sub Sigillo Rectoratûs die 25. Decembr: Anno 1690.



lominus tamen audito pacis nomine sed
 at ferire & hostem se profiteri, graviter
 quandoque capite puniatur. Natali Serv
 celo pacem denunciant. Servator ipse h
 inculcans, pacem simul commendat. uti
 naque ambitio, æmulationum contentio
 pacis humilitas. Nihilominus tamen,
 etiamnum litigamus & pugnamus. Ut
 rixæ, ubiqve bella & discordiæ. Quæ ma
 mant & quam pertinaciter incumbant A
 cogito, vix à lachrymis mihi tempero.
 Juvenesqve! ita Jesus noster, ita claman
 mus, si post illam promulgationem pac
 jurgia è jurgiis serimus? quid æternis a
 postmodum arfuri flammis. Faceffant
 de mysteriis cogitationes, acceptaqve de p
 conditione Mundi Servatoris, cum Ju
 enim frustra, manifestatio Dei in carne, v
 mysterium *ὁμολογούμεως* magnum. H
 in scrobiculum effunditur, quod Augul
 dum visum. Sacro ergo silentio mylter
 potius, quam scrupulosius rimandum. *Y*
cui humana ratio præbet experimentum, se
 Curas vero hujus mundi, de vitæ necessar
 rum, quarum struere cumulos adeo lab
 lium cupiditas, sedare, datis in ruborem,
 onibus, commodissimè poterit in tanta
 ria natus Servator infans. Apage ergo
 meditationis impedimentis, cui unice
 hoc lætissimo tempore Christianos.
 corporis pedibus, sed devotæ mentis p
 provolvamur ad præsepe, osculaq; amor
 fanti mellitissimo. Jucundissimum le
 nymo refertur. Ingruente nimirum sen
 ad 82. ætatis annum proventus erat, cum
 nia obire ultra non posset, devotionis sin
 mum se contulit, ibidemque ædiculâ pro

tor aude-
 modum
 Angeli è
 præsepio
 latio, va-
 er est, sic
 temerarii
 r lites &
 e nos pre-
 træ, dum
 ax o Viri
 apite lue-
 s. Quid
 , orcinis
 scrupulosæ
 ffirmâqve
 . Non
 Apostolo
 altissimus
 do absur-
 o testanda
 emeritum,
 Gregorius.
 q; divitia-
 lis morta-
 ve hellu-
 im penu-
 e devotæ
 convenit
 cius, non
 ehemum,
 emus in-
 de Hiero-
 jam enim
 latici mu-
 fu Bethle-
 abs Hele-
 na

